

rabitur. Et si altera fortunarum cum Luna pariter oriatur, uel iecissal habeat, & altera infortunarum occidat, natus à parentibus nutrietur. Hoc igitur iterum modo multorum natorum erit obseruatio, cum stellarum aliqua, duobus pluribusue modis in figura societatem habentium in Occidente fuerit, infans semiuiuus oriatur, aut uelut carnis frustum, aut imperfectae creationis, & si altera infortunarum super eam eleuetur, non nutrietur natus uel non habebit uitam secundum hoc quod per istud contingit.

De spacio uitae. Cap. X.

Eorum quidem accidētium quae post partum contingunt, enarratio. Primum est uitae sermocinatio, eo quod eorum qui primitus ordinauerunt ex his omnibus quae raro contingunt tractare, qui ad tot annos uitae non peruenerit in quibus ista perfici possunt, nobis risum habere conuenit. Haec autem obseruatio nec leuis est nec plana, imò ex dominantium locorum potestatibus accipitur & depræhenditur. Quae multis modis obseruatur. Modus autem qui secundum nostram existimationem peruenit, & qui naturalē uiam imitatur est ut enarrabimus. Haec autem obseruatio ex loco alhileg & eorum quae super alhileg potestatem habuerint, nec non & stellarum interficientium locis consideratur. Istarum uero rerum uniuscuiusque notitia est ut subiungitur. ¶ Primum namque nobis scire conuenit quod loca alhileg illa sunt in quibus stellam cuius dominium fuerit alhileg esse oportet, hic autem super signum ascendens, quod est à .5. gradibus qui super orientem ante ipsum ascenderant usque ad .25. qui ad ascendendum remanserunt, & post hos gradus qui in horum .30. gradu dextera exagona radiatione consistunt, qui sunt domus fortunae. At hi qui sunt in eorum aspectu tetragono, quod est medium caeli super terram, & gradus etiam qui sunt in eorum trigona radiatione, quod est locus qui *uov* appellatur. Nec non & gradus qui sunt in eorum oppositione, quod est occidens. Horum autem id quod ad praemittendum conueniens est eò quod fortioris auctoritatis existit, id esse dicitur quod est caeli medium super terram, & post hoc ascendens, deinceps id quod caeli medium ascendit, & post ipsum occidens ad quod caeli medium praecedat. Omne autem quod sub terra moratur hac in re tam praecleara & tam excellenti, praetermittendum fore decreuimus, propter id quod ascendens super terram apparuit. Illorum uero quae supra terram sunt signa quae cum ascendente non colliguntur, obseruanda non sunt, nec etiam signum ascendens ante occidens quod laboris domus appellatur, ob hoc quod cum hoc esset quod ab angulo remouetur, eius fortitudinem ad terram proueniētem, spissus & obscurus uapor qui ad ipsam ex humiditate terrae ascendit disturbat & destruit. Ideoque id quod ex coloribus ac qualitatibus stellarum, hac in domo existentium apparuerit naturam ex eodem uerbo dubitatur. Postquam conuenit ut .4. dominantia, quae sunt Sol, Luna, ascendens, pars fortunae, eorumque locorum dispositores alhileg constituamus. ¶ Partem igitur fortunae sciemus, si numerum quem inuenerimus à loco Solis usque ad Lunae locum, in die ac nocte acceperimus & ab ascendente inchoando illius numeri quantitatem secundum signorum successionem computauerimus. Hoc itaque modo
partis